

DE AMORE HOMINIS ERGA DEUM ET SEMETIPSUM  
IN LUCE DOCTRINAE 'TOTIUS ET PARTIS'  
APUD SANCTUM THOMAM

OBIECTUM formale voluntatis humanae – secundum Philosophiam Scholasticam – est *bonum ab intellectu apprehensum*. Ex consideratione huius obiecti dynamicam activitatem spiritualem volitionis in homine penitus intelligere conemur.

Agimus de natura obiecti voluntatis hominis: de natura boni.

Et quaerimus primo: "Estne bonum, ut voluntatis specificativum, mere et exclusive proprium, nempe, mere bonum concupiscentiae? nonne datur etiam bonum alterius, vel bonum benevolentiae? Sed, potestne bonum benevolentiae esse prorsus alienum et totaliter disiunctum a bono concupiscentiae quod videtur esse fons omnium appetituum?"

Difficile est affirmative respondere – en problema!

Animadvertere licet quaestionem analogam esse cognitionis, scilicet, "An et quomodo ens potest cognoscere aliquid quin sit cognitio sui?" similiter enim quaeritur: "An et quomodo appetitus entis potest inclinari ad aliquid quod non est bonum proprium?"

Licet difficultatem aggredi psychologicę, sed hoc non quidem satis esset et inde multo melius est solutionem metaphysicam proferre quae continetur in scriptis S. Thomae de natura "totius et partis". Hanc doctrinam breviter exponere conamur secundum interpretationem Patris Rousselot in thesi "Pour l'Histoire du Problème de l'Amour au Moyen Age"<sup>1</sup> proposita.

Cum Deus, uti Ens Supremum, sit fundamentum totius metaphysicae, quaestio profundius tractatur si in relatione ad Deum consideratur, et utendo iisdem verbis a Philosophia Mediaevali selectis, sic, cum P. Rousselot quaestionem ponimus: "Utrum homo naturaliter diligit Deum plus quam semetipsum?"

PRINCIPIA

Doctrina Sancti Thomae voluntatis humanae fundatur in notione appe-

<sup>1</sup>"Pour l'Histoire du Probleme de l'Amour au Moyen Age" a P. Pierre Rousselot, S. J., Munster, 1908.

titus qui invenitur in omnibus creaturis licet modo diverso, et qui, inclinando creaturas ad Creatorem suum, simul eas perfecit. Hoc optime explicatur in De Ver. q. 22, a. 1 ubi Thomas dicit:

Quod autem dirigitur vel inclinatur in aliquid ab aliquo, in id inclinatur quod est intentum ab eo qui inclinat vel dirigit ... Unde cum omnia naturalia, naturali quadam inclinatione, sint inclinata in fines suos a primo motore, qui est Deus, oportet quod illud in quod unumquodque naturaliter inclinatur, sit id quod est volitum vel intentum a Deo. Deus autem cum non habeat alium suae voluntatis finem nisi seipsum, et ipse sit ipsa essentia bonitatis: oportet quod omnia alia sint inclinata naturaliter in bonum.

At notandum est hanc doctrinam appetitus, quae ipsam naturam entis spectat, Sanctum Thomam velle analogice intelligi et ratione participationis. Ita enim eam explicat in Contra Gentiles:

Propter hoc igitur tendit (creatura) ad proprium bonum

quia tendit ad divinam similitudinem et non e converso,<sup>2</sup>

et hoc iterum monstratur in eo quod, cum creatio sit actus amoris vel bonitatis divinae, ipsum esse creaturae est participatio divinae bonitatis, nam:

in quantum aliqua desiderant esse, desiderant Dei similitudinem et Deum implicite, dum sola rationalis natura potest per quamdam viam resolutionis, ipsum Deum explicite appetere.

Finis ultimus et unicus, unificans in se totalitatem Bonitatis, est Deus; itaque si amor proprius et amor alterius possint aliquatenus conciliari, hoc videtur possibile esse in amore Dei.

Traditio Christiana semper tenebat Deum esse amandum propter se ipsum et super omnia, tamen habemus S. Augustinum definientem voluntatem humanam ut appetitum beatitudinis ... et sic, in difficultatibus hujus generis capti, magis nitimur ad solutionem quaestionis:

Utrum homo naturaliter diligit Deum plus quam semetipsum?

### CONCEPTUS PHYSICUS AMORIS

In primis P. Rousselot distinguit apud Mediaevales duos conceptus amoris: conceptus physicus et conceptus estaticus. P. Rousselot explicans primum conceptum argumenta firma putat se invenire ad difficultates evadendas et solutionem illustrandam. Conceptio physica vel naturalis significat omnes amores reales aut possibiles fundari in necessaria inclinatione omnium entium naturalium ad proprium eorum bo-

<sup>2</sup>III C.G. 24.

num. Hoc iam antea explicavimus in notione Thomistica appetitus sed P. Rousselot pergit et demonstrat quomodo ex hoc sequatur ut amor Dei et amor proprius in intima et profunda identitate congruant, et quomodo haec identitas manifestetur in duplicem expressionem ejusdem appetitus qui est profundissimus et maxime naturalis et quidem ipsa natura:

Tous les phénomènes d'amour étant pour lui (Thomas) l'expression d'une même réalité naturelle (la volonté, l'appétit) il faut nécessairement leur trouver un fond commun réel et permanent, il y a un objet unique qui spécifie l'amour.

S. Thomas, duce Aristotele, hoc vindicavit per id principium fundamentale quod statuit unitatem plus quam individualitatem esse principium, regulam et finem ultimum amoris et propter hoc amor concupiscentiae et amor benevolentiae in unum reducuntur.

Sed cur et quomodo amor proprius et amor Dei per hoc principium in perfecta continuitate reducuntur?

S. Augustinus dicit: "Ultimus finis est beatitudo quam omnes appetunt"; sed nunc quaerimus: ubi invenienda sit haec beatitudo? et Thomas respondit:

Finis ultimus cujuslibet facientis, in quantum est faciens, est ipsemet; utimur enim factis a nobis propter nos; et si aliquid aliquando propter alium faciat, hoc refertur in bonum suum, vel utile vel delectabile, vel honestum.<sup>3</sup> Unumquodque, ceteris paribus, plus se amat quam aliquid aliud; cujus signum est quod quando aliquid est alicui propinquius magis naturaliter amatur.<sup>4</sup> Dicit enim Dionysius "amor est virtus unitiva". Unicuique autem ad seipsum est unitas, quae est potior unione ad alium. Unde sicut unitas est principium amoris, ita amor quo quis diligit seipsum, est forma et radix amicitiae. In hoc etiam amicitiam habemus ad alios, quod ad eos nos habeamus sicut ad nos ipsos.<sup>5</sup>

et per hunc tramitem P. Rousselot interpretat haec Aristotelis dicta:

Amicabilia quae sunt ad alterum venerunt ex amicabilibus quae sunt ad seipsum<sup>6</sup>

et Divus Thomas in Lib. 9 Eth. 1, 4 ita loquitur:

Virtuosus se habet ad amicum sicut ad seipsum, quia amicus secundum affectum amici est quasi alius ipse, quod, scilicet, homo afficitur

<sup>3</sup> III C.G. 17, 7.

<sup>4</sup> I C.G. 102, 2.

<sup>5</sup> 2a2ae q. 25, a. 4; 3d. 28 q. 1, a. 6.

<sup>6</sup> Eth. Nic. IX, 4.

ad amicum sicut ad se ipsum ... et pro tanto, dicitur amor vis concreta: quia alium aggregat sibi, habens se ad eum sicut ad seipsum.

Sed his dictis videtur ipsa difficultas fortius nunc urgeri: "An et quomodo ergo potest homo naturaliter diligere Deum plus quam semetipsum?" Et responsum est in eo quod secundum Thomam homo tendit ad bonum Dei tam "spontanee, naturaliter et directe" quam ad suum bonum proprium, aliis verbis, homo amando se ipsum simul diligit Deum super omnia, et hoc, fortasse, melius intelligetur in analysi a P. Rousselot facta principii Sancti Thomae de Toto et Parte.

### DE TOTO ET PARTE

Hanc doctrinam optime exponit Doctor Angelicus in Quodl. I, q. I, a. 8 — en citatio:

Diligere Deum super omnia plus quam se ipsum est naturale non solum angelo et homini, sed etiam cuilibet creaturae, secundum quod potest amare aut sensibiliter aut naturaliter. Inclinationes enim naturales maxime cognosci possunt in his quae naturaliter agunt absque deliberatione; sic enim agit unum quodque in natura, sicut aptum natum est agi. Videmus autem quod unaquaeque pars naturali quadam inclinatione operatur ad bonum totius, etiam cum detrimento aut periculo proprio: ut patet cum aliquis manu exponit gladio ad defensionem capitis, ex quo dependet salus totius corporis: Unde naturale est ut quaelibet pars suo modo plus amet totum quam se ipsam. Unde, et secundum hanc naturalem inclinationem et secundum politicam virtutem, bonus civis mortis periculo se exponit pro bono civili ... Bonum partis est propter bonum totius ... Manifestum est autem quod Deus est bonum commune totius universi et omnium partium ejus; unde quaelibet natura suo modo naturaliter plus amat Deum quam se ipsam; insensibilia quidem naturaliter, bruta vero animalia sensitive, creatura vero rationalis per intellectualem amorem, quae dilectio dicitur.

Sed notat P. Rousselot exempla manus et capitis vel civis et boni communis non debere nos ita decipere ut censeamus principium unitatis tantum in casibus partium juxtapositarum posse applicari. De facto Thomas in casibus compositionis sine distinctione spatiali idem tenet; dixit enim:

Homo singularis est minus dignus quam natura communis: quia divinius est bonum gentis quam bonum unius hominis.<sup>7</sup>

<sup>7</sup> 3d. 18 q. 1, a. 6 sol. 1.

Individuum, uti individuum, est membrum speciei et est ergo pro specie – et hoc P. Rousselot exprimit ne conceptio unitatis quocumque modo ad unitatem egoisticam et restrictam individui restringatur.

(Conceptio unitatis uti applicata in explicatione peccati originalis et Redemptionis nos adjuvabit ad hanc notionem complectendam.)<sup>8</sup>

P. Rousselot tenet quod si pars totius consideratur sicut a toto separata, manet debilis et imcompleta et non potest cognosci ut revera id quod est, scilicet, pars totius, et hoc affirmatur de omnibus naturalibus et maxime elucet in hac citatione Divi Thomae:

unumquodque ... secundum naturam hoc ipsum quod est, *alterius est*<sup>9</sup> et in hoc sensu pars est totius, est pro toto, et appetit totum plus quam se, et hac ratione dicit Thomas:

pars autem, id quod est, totius est; unde et quodlibet bonum partis est ordinabile in bonum totius;

et consequenter asserit P. Rousselot non posse appetitum naturalem alicujus partis considerari disjunctum vel separatum ab appetitu totali, multo minus ut contra illum. Praeterea dicit P. Rousselot – id quod est verum secundum Thomam de partibus, multo magis verum ei esse de participationibus, id est, de entibus cujus esse est esse participatum.

In illis quorum unum est tota ratio existendi et bonitatis alii, magis diligitur naturaliter tale alterum quam ipsum, sicut dictum est quod unaquaeque pars diligit naturaliter totum plus quam se, et quodlibet singulare naturaliter diligit plus bonum suae speciei, quam bonum suum singulare. Deus autem non solum est bonum unius speciei, sed est ipsum universale bonum simpliciter. Unde unumquodque suo modo naturaliter diligit Deum plus quam seipsum<sup>10</sup>.

Et hoc enuntiatum principium solum Deo, dicit Rousselot, convenire, quia in illo solo est tota ratio existendi. Sed secundum S. Thomam Deus non est totalitas entium universi cum sit Ens infinitum et separatum quem omnia entia participant et imitant, et inde de omnibus singulis creaturis dicendum "hoc ipsum quod est, alterius est" et "quia igitur bonum universale est ipse Deus et sub hoc bono continetur etiam angelus et homo et omnis creatura, quia omnis creatura naturaliter secundum id quod est, Dei est, sequitur quod naturali dilectione etiam angelus et homo plus et principaliter diligit Deum quam seipsum" et addit Thomas: "alioquin, si naturaliter plus seipsum diligeret quam Deum, sequeretur quod naturalis dilectio esset perversa; et quod non perficeretur per cari-

<sup>8</sup> 1a2ae q. 81, a. 1c.

<sup>9</sup> 1, q. 60, a. 5c.

<sup>10</sup> 1 q. 60, a. 5 ad 1.

tatem sed destrueretur.”<sup>11</sup>

Haec doctrina totius et partis non videtur esse merum exemplum, ut dicit Dominus Gilson in libro suo celeberrimo “The Spirit of Medieval Philosophy” nec tantum metaphora ut describit P.M. D’Arcy in opere suo notissimo “The Mind and Heart of Love”. P. Rousselot responderet forsitan iterum dicendo: “quod est verum secundum Thomam de partibus multo magis verum esse de participationibus. P. Rousselot instaret affirmando Deum esse totum bonum et hominem participare hanc bonitatem; et amando se, ut participationem, hominem revera Deum amare plus quam se – uti pars appetendo suum bonum, appetit id ut pars totius et simul appetit bonum totius plus quam suum bonum.

“Manifestum est autem” dicit S. Thomas, “quod bonum partis est propter bonum totius; unde naturali appetitu vel amore unaquaeque res particularis amat bonum suum propter bonum commune totius universi, quod est Deus.”<sup>12</sup>

Verumtamen Pater Rousselot per hanc explicationem, licet difficilem, tenet amorem proprium et amorem Dei esse duas expressiones ejusdem appetitus, in perfecta continuitate convenientes, et non duo phenomena omnino diversa, vel peius, opposita.

Amor meus naturalis constituit me uti partem totalitatis quae me circumdat vel uti participationem entis Superioris qui me facit existere. Sic quando desidero florem ad olfactandum vel fructum ad gustandum, vel vinum ad bibendum, meipsum desidero et volo in realitate, sed simul et eodem modo in hanc delectationem quaerendam, id quod realiter et magis intime amo est Deus.

S. Thomas docet omne creatum in omni appetitione semper Deum desiderare magis profunde quam objectum quod appetit et attingit, etiamque in peccatis voluntatem peccatoris inconscie ad Deum tendere.<sup>13</sup>

## CONFLICTUS

Sed si revera res sic se habent, cur experimur conflictum inter amorem proprium et amorem Dei?

Traditio Christiana statim responsum profert dicendo “Sed iste naturalis amor Dei pervertitur ab hominibus per peccatum.” Sed P. Rousselot aliam solutionem quaerit apud S. Thomam fundatam in structura metaphysica hominis.

Spatium tantum permittit ut modo brevissimo delineatur solutio hujus

<sup>11</sup> 1 q. 60, a. 5c.

<sup>12</sup> 1a2ae q. 109, a. 3c.

<sup>13</sup> De Malo q. 16, a. 3 ad 1; q. 8, a. 2. Cp. 2d.5 q. 1, a. 2 ad 5.

problematis.

Bonum individuale entis spiritualis est maxime affine ad Summum Bonum immo vero, cum Summo Bono identicum, quia spiritus in suo ordine perfecte actuatur. Sic ens spirituale appetit suum bonum spirituale sub ratione summo bono maxime propinqua, scilicet spirituali – quod implicat spiritum perfecte intelligere in quo suum bonum revera consistat nam non impeditur a materia in sua operatione.

Ens tamen sensitivum appetit bonum sensitivum et simul Summum Bonum, sed sub ratione Summo Bono aliena, seu ratione appetitus sensitivi.

In homine, igitur, conflictus est possibilis propter naturam compositionis ejus: spiritus cum materia; bonum enim sensibile potest esse aliquando incompatibile cum acquisitione altioris perfectionis et liber est homo ad utrumvis eligendum. Sed "spiritus", inquit P. Rousselot, "est, de facto, ipse homo, sensu magis intimo et vero quam corpus";<sup>14</sup> ergo bonum sensibile subijcere debere bono spirituali, id est, ipsi Deo; et homo sacrificando sensibilia bono suo spirituali, simul amat bonum suum revera proprium et ipsum Deum super omnia.

"Cum in homine", dicit Thomas, "sit duplex natura, scilicet, intellectiva quae principalior est, et sensitiva quae minor est, ille vere seipsum diligit, qui se amat ad bonum rationis; qui autem se amat ad bonum sensualitatis contra bonum rationis magis se odit quam amat, proprie loquendo, secundum illud Psalm. X, 6: "Qui diligit iniquitatem odit animam suam" et secundum hoc amor verus sui ipsius amittitur per peccatum contrarium, sicut et amor Dei".<sup>15</sup>

#### CONCLUSIO

Et concludit P. Rousselot iterum asserendo hominem diligentem, secundum naturam, bonum spirituale super omnia (materialia) nil aliud facere quam diligere se ipsum, cum spiritus, sensu magis intimo et vero quam corpus, sit ipsemet, et simul diligere Deum super omnia, cum bonum spirituale et bonum Dei inter se convenient. Et sic, hic dictus conflictus inter spiritum et materiam est naturalis et consulto datur ut in ordine naturali virtus revera spiritualis in homine manifestetur.

Existencia hominis, unitas personalis et bonitas eius totaliter a Deo,

<sup>14</sup> "L'esprit, en effet, est l'homme même, plus intimement, plus vraiment que le corps" o.c. p. 21.

<sup>15</sup> De Caritate a. 12 ad 6; Cp. 2a2ae q. 25, a. 7; et 3d. 29 q. 1, a. 5 ad 3: "quod aliquis vitam propriam corporalem propter amicum ponit, non contingit ex hoc quod aliquis amicum plus quam se ipsum diligit, sed quia in se plus diligit quis bonum virtutis quam bonum corporale."

creatore et conservatore dependent, et sic consiliari videntur hae duae veritates:

- quod homo *realiter* se amat solum quando Deum plus amat
- quod nullus homo potest Deum amare quin seipsum amet.

ARTHUR G. VELLA, S.J.